Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Sermo beati Bernhardi abbatis. in vigilia nativitatis domini.

(tandem)
Hodie de mari ad portum. de promissione ad premium. de labore ad requiem. de desperatione ad spem. de via ad patriam pervenimus. Scripserat nobis siquidem frequentibus epistolis calamus scribe velociter scribentis. expecta expecta. sed nos quod subiungitur dicere potamus. Modicum ibi modicum ibi. Precurrerant cursores promissione divites. sed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius viriliter age. et confortetur cor tuum. et sustine dominum. Alter vero. Si moram fecerit expecta eum. quia veniens veniet. Pari consilio exierant de sanctuario dei. nichil secum preter multitudinem promissionum portantes. unde et citharista noster iam commutaverat pre tedio. et in ipsum deum tacitis obliquationibus totam culpam modis flebilibus intorquebat. Tu vero inquit repulisti. distulisti christum tuum. De flebili quoque ad impatientium sensus est. exagitante impacientia. que mater est impudencie et frontositatis. Qui sedes inquit super cherubin manifestare. Ut quid tam diu dominatrici sedens in cathedra. circumvolantibus et vallantibus angelis. non respicis super filios hominum. quos obsorduit et absorbuit iniquitas. Per adam quidem commissa. sed ante promissa. Memorare que sit mea substancia ad tue substancie similitudinem fabricata. quia et si omnis homo vivens vanitas est. in ymagine tamen tua pertransiens vanitas esse non potest. Numquid ita vane constituisti omnes filios hominum. de quibus dicis. et delicie mee cum filiis hominum. ut eos verberet et diuteret a te malignissimus ille deceptor. qui decipere nisi te permittente non potuit. Inclina celos tuos et descende. et illos misericordes

hic tertius de Nativitate Dni inter sermones seorsim impressos.
In Mabillo[illegible] … tomo 2do.

xli.